

Nicolas Passavant Gottfried Steudner


Dissertatio Iuridica De Antipelargia

Basileae: Bertschius, 1672

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn756939801>


Druck Freier  Zugang





K. H. 2 (161.)





I. N. 7.
DISSERTATIO JURIDICA

De
ANTIPELARGIA.

Von
**Kindlicher Verpflegung Armer
und Verlebter Eltern.**

Quam
Consensu & Auctoritate
Magnifici Jctor. Ordinis in Illustri & Perantiqua
Rauracorum Universitate,

PRÆSIDENTE

Viro Nobilissimo, Amplissimo atque Excellentissimo

D. NICOLAO PASSAVANT,

J. U. D. & in Academia Basiliensi Institutionum

Imperialium Professore Publ. celeberrimo,

DN. PATRONO, PRÆCEPTORE ATQUE PROMO-
tore submisso animi cultu devenerando,


in Acroaterio Jctor.

Non. Junij A. AE. C. M. DC. LXXII.

Publicæ Eruditorum Disquisitioni submittit

Gottfried Steudner /

Greiffenberga Siles.



BASILÆ, Typis JACOBI BERTSCHL.

St. 4

DISERTATION
ANATHEMATA

Rechtliche Betrachtung
des Erbvertrags


Constitutio
Magnifici J. C. Ordinis in Illustri & Potentissima
Ruzgovina Universität

D. NICOLAUS PASSAVANT

DE PATRONO RECTORIS CREATORUM ROMANO

Rechtliche Betrachtung
des Patronats

Druckort
SASA Typ. Jacob Bartsch



I. N. D. N. J. C.



Omina significantiarum rerum gratia reperta sunt; quæ si alio quolibet modo intelligantur nihil interest, §. 29. *J. de Legat.* Nam & Peditius nihil referre ait, proprio nomine res appelletur, an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstretur: quatenus *mutua vice funguntur*, quæ tantundem præsentent. *l. 6. ff. de reb. cred.*

Ἀντιπελαργίας verbum Græcum est, quod neminem latere arbitror. Multa enim Jure Civili quocunq; sermone fieri possunt; non solum Latina, vel Græca, sed etiam Punica vel Gallicana, vel alterius cujuscunq; gentis lingua. Hisce modis Fideicommissa relinqui possunt *l. ii. pr. ff. de Legat. 3.* Sic Græce acceptum potest fieri *l. 8. §. ult. ff. de Accept.* Item stipulatio concipi §. 1. *J. de V. O.* nec non Fidejussio *l. 8. pr. ff. de Fidejuss.* quemadmodum etiam Græce testari licet. *l. 21. §. ult. C. de Testam.*

Ἀντιπελαργία dicitur quasi Ciconiaria, vel alimentaria Lex, qua Liberi Parentes alere jubentur, dicta & derivata ab *ἀντι* quod est contra, *vicissim*, *vice mutua*, *reciproce*; & *πελαργός*, Ciconia. Inde *ἀντιπελαργεῖν*, i.e. promerentibus gratiam in tempore referre. Vid. Lexicon Juridic. Calvin. sub vocab. *Ἀντιπελαργία*. Ea enim observata est hujus

A 2

avis

avis indoles, ut in nutricandis Parentibus jam senio confectis Exempli & Denominationis laudem acceperit.

Nullum (uti *H. Grotius de J. B. ac P. in annot. ad Lib. 2. c. 19. §. 2. Idemque eod. lib. annot. c. 20. §. ait*) est in homine laudabile factum, cujus non vestigium in alio aliquo animantium genere, Deus posuerit: id quod etiam in Parentibus alendis evenit, Hujus enim Pietatis imago est in Ciconiis, de qua re plurimi Auctores plenissime scripsere; ex quorum serie placet Alciatū allegare, sic exprimentem:

Aërio insignis Pietate Ciconia nido

Investes pullos, pignora grata, fovet.

Taliaque exspectat sibi munera mutua reddi,

Auxilio hoc quoties Mater egebit anus.

Nec pia spes sobolem fallit, sed fessa Parentum

Corpora fert humeris, præstat & ore cibos.

Id quod *Aristoteles Histor. Animal. lib. 9. c. 13. refert*, *Ciconias*, inquit, genitorum senectutem invicem educare vulgatum est. Sunt & præterea, qui *Meropes* idem facere confirmant, vicemque reddere: ut Parentes non modo senescentes, verum etiã statim, cum jam datur facultas, alantur opera liberorum: nec Matrem aut Patrem exire, sed in cubili manentes pasci labore eorum, quos ipsi genuerunt, enutrierunt, educarent. *Cl. Aelianus de. Animal. natur. l. 3. c. 24. pr.* Magna cura Ciconiæ, exacta ætate parentes alunt, licet humanis hoc facere legibus nullis jubeantur; sed sola bonitate naturæ ad id impellantur.

Quæ in Ciconiis erga Parentes senio laborantes omniq; ope distitutos observata Pietas mihi Disputationem Juridicam habituro in tantum arrisit, ut missis aliis in jure obvientibus materiis, quæ forte limatius tractari potuissent, in enucleanda Antipelargia ingenii vires

res

res (si quæ sunt) exercuerem; quod ut felici successu non destituatur, est quod à Divinissimo Numine devote expeto.

Sectio Prior.

I. Cum asserente Gloriosissimo Imperatore Justiniano parum sit jus nosse, si *Persona*, quarum causa constitutum est, ignorentur, §. *ult. f. de f. N. G. & C.* operæ pretium fore existimo, primo Personarum, & postmodo Rerum habere rationem.

II. *Parentes* vero describimus *ex quibus Liberi sunt nati*, quos hoc loco utriusque naturæ accipe *Nov. 117. c. 7. f. c. 22. qu. 4. XXII.* quia Natura etiam nos docet, *Parentes pios liberorum procreandorum animo & voto uxores ducere*, l. 220. §. f. ff. de V. S.

III. Justa interpretatione recipiendum est, ut nomine *Parentis* non tantum Pater, sed etiam Avus, Proavus & deinceps omnes superiores videantur comprehendi; *Nov. 117. c. 7. in fin.* sed & Mater & Avia & Proavia l. 51. ff. de V. S. l. 5. §. 2. ff. de agn. lib. l. 4. §. 2. ff. de in jus voc. sicuti & *Liberorum* appellatione Nepotes, Pronepotes, cæterique qui ex his descendunt, continentur. l. 8. ff. de agn. & alend. lib. l. 220. pr. l. 201. ff. de V. S. licet sint emancipati l. 5. §. 1. ff. de agn. & al. lib.

IV. Atque hic spaciosissimus dicendi campus de *Pietate Liberorum* erga *Parentes* se nobis aperiret, sed istum emetiri nec vacat, nec necesse est: adeo natura de talibus officiis satis cautum est, ut supervacuum foret prolixius differere. Breviter assero, laudatam *Liberorum Pietatem* erga *Parentes* & officiū non adimpleri duntaxat *Reverentia*; quippe una est *Parentibus omnibus servanda Reverentia*, l. 6. ff. de in Jus voc. l. 4. C. de patr. potest. *Pietas*

Parentibus, etsi inæqualis est eorundem potestas, æqua debetur *l. 4. ff. d. Curat. fur.* Neque officia & obsequia, de quibus *t. t. ff. d. obseq. Parentib. & Patron. prest.* utramq; faciunt paginam; sed *Avtidæa* i.e. remunerationes, *arg. l. 25. §. 11. ff. de heredit. petit. l. 5. §. 16. ff. d. agn. lib.* atque alimentorum præstatio, *l. 5. §. 1. seqq. ff. d. agn. & al. lib. & par. & C. eod.*

V. Deberi Parentibus pannis & annis obsitis alimenta ab eorundem liberis, Juris divini juxta & naturalis atque civilis auctoritate demonstrari potest.

VI. De Jure divino textus habemus perquam elegantes, utpote, *Siracid. c. 3. v. 14.* monentis, ut suscipiamus seneſtam Parentum nostrorum; & *brevi post v. 18.* asserentis, malæ famæ esse, qui parentes derelinquant, *D. Paul. 1. Timoth. 5. v. 4.* Mutuam fidem reddere Parentibus, acceptum esse coram DEO.

Quod & *Jus Canonic.* maximopere urget, *c. 20. Dist. LXXXVI.* Prius pascas Parentes. Nam si juxta divinum oraculum contumelia parentis morte luitur; quanto magis fames, quæ morte gravior est?

VII. Esse vero aliquid *Juris naturalis*, probari solet, tum ab eo, quod prius est, tum ab eo quod posterius. *H. Grot. de J. B. ac P. l. c. 1. §. 12. pr.*

VIII. *A priori*, si ostendatur rei alicujus convenientia aut disconvenientia cum rationali ac sociali natura. Quid autem tam naturale quam bene merentibus gratiam referre? Id enim usus vitæ humanæ habet, ut referatur gratia scæneratoribus gratiarum, & recipiant vicem munerum munerantes. *Salvian. de Gubernat. Dei.* Dandi & recipiendi commercium, sine quo vix vita hominis constat, perdit, quisquis bene merito parem referre gratiam negligit: & *Seneca de Benef. l. 4. c. 18.* Ut scias, per se expetendam esse grati animi affectionem, per se fugienda res est, ingratum esse; quoniam nihil æque con-

concordiã humani generis dissociat ac distrahit, quam hoc vitium. Nam quo alio tuti sumus, quam quod mutuis juvamus officiis? hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio, &c. Duo vincula fortius ligant quam unum, §. 2. *J. de Adopt. arg. Auth. C. Itaque Commun. de Success.* Præter civilem enim rationem in liberis etiam sanguinis Charitas id operari debet *l. 5. §. 2. b. t.* Ea enim Parentum sunt merita, ut nulla liberorum diligentia & industria, neque Pietate remunerari queant, ut exinde verum dixisse appareat Philosophum: *Parentibus non reddi posse ἰσόπρωον.*

IX. *A posteriori* probatur, si ostendatur apud gentes aut omnes, aut moratiores (efferatarum enim iudicium depravatum est) credi aliquid esse Juris Naturæ. Ejusmodi vero Pietati gentes fere meliores omnes ad stipulatæ sunt, damnata impia & inhumanã lege *Sardoa*, de qua *Aelian. lib. 4. var. hist. c. 1.* & *Caspiorum consuetudine*, de qua *Alexander ab Alexandro. 3. Genial. dierum c. 2.* Sane Solon infames esse voluit eos, qui Parentes non alerent. *Diog. Laert. in Solone.* Econtra vero æternæ habentur laudes *Cimoni*, qui Patri suo sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitavit; quemadmodum nec minorem apud posteros sibi gloriam acquisivit *Cimona*, quæ finali pietate ducta Perum Patrem carceri inclusum, velut infantem, uberibus suis admovit & lacte aluit. *Val. Maxim. 4. l. 4.* *Homerus* ait: Brevem aetatem ei contingere, qui Parentibus nutritionis munus non reddiderit. Pari ratione apud veteres tritum sermone proverbium fuit: *Filii aut parentes alant, aut vinciantur.*

X. Ecquid autem causæ fuit, quam obrem illud Jura decernerent? an ut eandem recipiant vicem parentes, quos naturalis stimulus ad Liberorum suorum educationem

onem hortatur? *l. un. §. 5. C. d. rei uxor. act. l. 5. §. 1. ff. de al. lib.*
Sed hoc non æque est ordinarium atque illud, quod de liberis dicitur; nam liberi cum nascuntur, nihil secum afferunt, unde vivant: adde, quod vivendum diutius habeant quam Parentes: atq; adeo sicut honor & obsequium parentibus debetur, non Liberis; ita educatio Liberis magis, quam Parentibus. *Grot. de J. B. ac P. 2. c. 7. §. 5.*
Non liberi Parentibus, sed Parentes liberis rem congerere & servare debent. *2. Cor. 12. v. 14.*

XI. Verior ratio est *necessitas, ægritudo, l. 5. §. 2. l. 9. de al. lib. inopia l. 5. §. 13. d. t. Egestas d. l. 5. §. 2. Indigentia. l. 5. §. 19. l. 73. ff. d. acq. her.*: quum sine alimentis hominem vivere posse, naturaliter sit impossibile. Vento enim nemo vivit, *l. f. C. de alim. pupill. præst.*

XII. Interdum aliæ quoque apud alios rationes dantur, quæ tam in dante, quam accipiente concurrunt, & sic ab utraq; parte commovendi vim habent. *A parte enim accipientis fortunæ injuria atque acerbitas, A parte dantis ut plurimum commiseratio arg. l. 6. ff. d. cess. bon.* quæ commovetur conspecta indigentis miseria, cum voluntas misericordiæ sit amica *l. 2. C. de infant. expos.* Aliquando nuda affectio id efficit. *l. 5. l. 22. pr. ff. de alim. vel cibis, leg. vel sanguinis & pietatis Charitas l. 5. §. 2. §. 15. ff. de agn. lib.* interdum grati animi memoria talem remunerationem præstat, uti supra responsum.

XIII. Nulla tamen causa æque ad alimentorum præstationem instigare potest aut debet, quam necessitas & indigentis inopia. Pietatis namque nostræ remedio resurgere debent, qui fortunæ suæ acerbitate corruerunt, thesaurumq; suum condit in cælo, qui Christum in paupere pascit. *D. D. Josthon, Ethic. p. m. 175.*

XIV. Quid si sint digni calamitate? Benefacta male locata, malefacta sunt. Aristoteles tamen diceret, non mo-

mores, sed hominem commiseratus sum. Et videtur hoc officium, si non meritis illius, qui juvatur, certe naturæ deberi. Nam in pauperibus non tam paupertas, quam religio est attendenda *c. ult. 68. quæst. 1. XVI.*

XV. Hugo Grotius sine controversia Vir omnium eruditionis penam refertissimus, dum frequenter communionis primævæ fovet sententiam *de J. B. ac P. l. 2. c. 2. §. 2.* diceret in gravissima necessitate reviviscere Jus illud pristinum, rebus alienis utendi, tanquam si communes mansissent; quia in omnibus legibus humanis summa illa necessitas videtur excepta *conf. lib. 2. c. 2. §. 6. 2. lib. 1. c. 4. §. 7. pr. lib. 2. c. 6. §. 5. lib. 2. c. 18. §. 4. 6.*

Sed præter id, quod fundamentum hoc primitivæ communionis, non sit satis firmum, & limitandum quoque sit in eo, quod necessitati effectum infirmandarum legum indistincte attribuat, nihilominus hujus Juris explicatio manet intricata, ob rationem, quod quanta illa debeat esse extremitas nondum videatur expeditum. Et si secundum principia Justitiæ internæ tale attentatum examinetur, Juris nomine difficulter erit designandum, quia Jure defendi vix potest, licet ex speciosa commiserationis ratione ad effectum evitandæ pænæ, excusationis favorem mereatur. Insuper admissa hypotheseos Grotianæ veritate, non tutum esset, ceu magnopere censet *Magnif. D. Zieglerus in animadvers. ad Grot. si in vulgus nota fieret,* quum ex ea quam plurimæ invasiones sibi patrociniū petituræ sint, nec facile unquam extrema illa necessitas probari queat.

XVI. Illud tamen recipi potest, reprobata propriæ vindicationis licentia, nihilominus ex virtute Charitatis & misericordiæ, nec non jure naturali, teneri abundantes, in casu necessitatis egenti suppeditare subsidia, iisque denegatis peccatum grande committi.

B

XVII. Se-

XVII. Secundum ordinem naturalem exprovidentia divina res inferiores ordinatæ sunt ad hoc, ut illis, propter quas sunt conditæ, subserviant, atque ex his necessitati illorum subveniatur; ideo res, quas alii superabundanter habent, ex naturali jure sustentationi pauperum debentur, neque ullo humano jure vetari potest, quominus ea, quæ redundantia sunt, nec possessori serviunt, in egentium usum veniant. *Ita Dn. D. Struve in dissert. de facultat. utendi rebus alien. in extrem. necessit. caus. ubi hujus sententiæ multas Doctorum & Moralistarum auctoritates exhibet,*

XVIII. Præclare Ambrosius relatus *c. 8. dist. 47.* Sed ais: quid injustum est, &c. præstare, quod velis. Et *Chrysostr. hom. 34. ad pop. Antioch.* Tuarum rerum es, ô homo, dispensator. Non enim ad hoc accepisti, ut in deliciis absumeres, sed ut in Eleemosynam erogares. Numquid enim tua possides? res pauperum tibi sunt creditæ, sive ex laboribus justis, sive ex hereditate paterna possideas.

XIX. Scimus etiam ex sacris literis, talem magnificentiam erga inopes nobis præcipi. *Matth. 19. v. 21. Luc. 3. v. 11. Psal. 41. v. 2. Deut. 15. v. 7, 8. 11. Jes. 58. v. 7. seqq.*

XX. Divine admodum Imperatores rescripserunt, humanitatis nostræ est, egenis prospicere, ac dare operam, ut pauperibus alimenta non desint. *l. 12. §. 2. C. de SS. Eccl. Gloria Episcopi est pauperum inopiæ providere. c. 71. pr. quest. 2. XXII.* Accepisse quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis, vel cautum esse vel timidum, aut quod apertissimi sceleris est, aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat,

XXI. Neque hæc Liberalitas in pauperes exercenda, ex mero dependet arbitrio nostro; sed legum ac Magistratuum jussionibus quoque imperari potest. *arg. t. C. de mendic.*

mendic. valid. & Ordin. Politic. tit. von Bettlern und Missethigängern de An. 1549. tit. 34. 1548. tit. 26. 1577. tit. 17. Frantzk. 2. var. resolut. 7. add. Perez. ac d. t. C. de mendic. valid.

XXII. Colligitur exinde, jus habere Pauperes ad eleemosynarum impetrationem à locupletibus, officio Magistratus, non quidem per imperium semper & vim cogendi ordinariam; sed per modum precarium & admonitionis exsequendam, nisi extrema necessitas coactionem quandam ac vim moderatam adhibere requirat.

XXIII. Negat H. Grotius *de J. B. ac P. 2. c. XI. §. 3.* exinde alteri Jus nasci: In debito misericordiae, inquiring, & gratiae reponendae obligatio in nobis contrahi potest, nullum jus in alio gigni. Cui accedit *Job, à Feldem in Not:* Itaque ex justo naturali universali quem obligari, ut pauperi succurrat, pauperem vero Jus exigendi non habere, sed Magistratum vim accommodare.

XXIV. Et est quidem debile Jus quoad effectum producendae actionis, & quoad vim à Magistratu ordinarie adhiberi solitam; sed tamen non est plane nullum aut omni vi indistincte destitutum. *cons. Eiben. elect. Jur. feud. c. 11. & Frantzk. loc. cit.*

XXV. Quae hactenus tractata sunt, pro *ἀντιπαραγωγία* quoque fortiter militant, cui praeterea à Jure plenissimum robur accommodatum est.

XXVI. Dicitur est de causa proxima, Infirmitate videlicet & Egestate, quarum miserationi hoc datum fuit, nec non de Parentibus sine sexus & gradus distinctione nutriendis.

XXVII. Frequenter autem evenit, ut quis mentiatur callidae paupertatis ingenium, *l. 2. c. de Consib.* idcirco non statim casum conquerentibus facile credendum est. *l. 5. C. de fid. Instrum.*

XXVIII. Quis ergo *pauperum* numero est habendus,

duſ, an ille qui minus quam 50. aureos habet? *l. 10. ff. de Ac-
cuſat. Gl. vero & ibi Baldus in l. 7. ff. de Excusat.* dicit paupe-
rem eſſe, qui labore & ſudore ſuo victum quærere cogi-
tur. Communiter tamen concluditur, arbitrio Iudicis
hoc eſſe relinquendum, qui ſecundum qualitatem Perſo-
narum & quantitatem Patrimonii, ex opinione vulgi,
quem iudicabit divitem vel pauperem. *Schneidev. Com-
ment. ad Inſt. quib. ex cauſ. manumitt. non licet.*

XXIX. Alleganti vero ſe pauperem, incumbit onus
probandi, quæ probatio *V.* modis ut plurimum ſolet fieri:

XXX. 1. Vel enim relatione & deſiptione vicino-
rum, quia Vicinus videtur ſcire facta vicini. *Carpz. Jurispr.
Conſiſt. l. 2. Deſ. 225. n. 9.*

XXXI. 2. Vel teſtimonio Magiſtratus loci, in quo
pauper domicilium habet.

XXXII. 3. Vel Juramento Paupertatis.

XXXIII. 4. Vel fama communi, ſi de modico tan-
tum præiudicio agitur; ſi de magno, fama communis non
facit plenam probationem, ſed probationis adminiculum.
Mafcard. conſuſ. 1154. n. 20. junct. n. 21. § 22.

XXXIV. 5. Vel denique teſtium deſiptione, *Ma-
ſcard. d. l. n. 39.*

XXXV. *Breviter.* Paupertas ſatis probata dicitur,
concomitante legis præſumptione. *Klock. vol. 3. c. 163. n. 13.*

XXXVI. Sufficit etiam pauperem eſſe talem tempo-
re probationis, nec præſumitur iſtam negativam eſſe
poſtea ſublata & evertam. *Brunnemann. ad l. ſi uxor. 2. C. ſi
vendit. pign. agat.*

XXXVII. Præter hæc de *ætate ſenectæ* quæri poteſt.
Et quidem ſimpliciter ſenis ſenectutisq; termino ſumpto,
dicitur iſ homo, qui Juventutem exceſſit. *l. 69. §. 1. ff. de Le-
gat. 2. & jam in ultima ætatis parte eſt. Senectus eſt illa vi-
tæ humanæ ætas, quæ Juventutem ſequitur, ipſam vero
mors*

mors *Seneca Epist. 30.* Quemadmodum Senectus Adolescentiam sequitur, ira Mors Senectutem.

XXXVIII. Sane quo anno Juventus terminetur atq; Senectus incipiat, jure nostro definitum non est: unde *Dd.* magnum ex utroque latere habuere certamen, *vid. ap. Censorinum l. 14. de die natal.* In qua opinionum diversitate, quum veresimilius sit, Romanos nunquam Juventutem & Senectutem ad certos annos restrinxisse, nec etiam singulis universaliter tales terminos præfigere potuisse, *Paul. Zachias in quæst. medico-legal. 10. 72. n. 34. seqq.* tutissima est eorum sententia, qui ætates has arbitrio Judicis discernendas committunt, ut quod legibus omissum est, non omittatur religione judicantium. *l. 13. ff. de testib. l. 1. §. 2. ff. de Jur. de lib. Menoch. de arbitrio judic. ca. 59. Alciat. 10. wagg. 10. lit. D. A. Gail. 1. Observ. 192. n. 7.*

XXXIX. Quamvis ne arbitrium Judicis in singulis causis, & personis nimium evagaretur, in quibusdam casibus ætatem senilem certo annorum numero defini-verunt, adeo, ut eadem vel in ultima voluntate, vel Contractu præscripta, tanquam conditio adjecta ex completionem, non inchoationem æstimanda, & observanda sit: quemadmodum n. hodie communi consensu receptum est ne senectutis terminus à quo, ad annum *LX.* extendatur, quum *quingagenarios* Senes esse hodie vix dubitetur. *Choch. de Senect. P. 1. c. 5. idque in Camera observari testatur Gail. 1. Observ. 192. n. 7.*

XL. Pubertas quidem certo annorum spacio descripta *pr. 7. quib. mod. tutel. fin.* ut turpis illa corporum inspectio tolleretur. Verum quemadmodum isthæc inspectio in senibus nunquam locum habuit: ita nec opus fuit illam per Constitutiones tollere, & certo ejusdem initia tempore definire; sed eandem ab externo habitu corporis æstimandum Judicis arbitrio relinquere.

XLI. De modis quibus *senilis & de vena atas probatur*, sequentia annecto: 1. Ex circumstantiis plurimis, quæ Senectutem probant, insignis semper fuit *aspectus* exterior habitudinis corporis. *l. 3. C. si min. se major. dix.* licet hæc sola non sufficiat, Baldo teste *in l. si minorem. 5. C. de in integr. restit.* 2. Per libros censuales. *l. 3. n. ff. de censib.* 3. Per Scripturam Nativitatis. *l. 2. §. 1. ff. de Excusat.* sive ut hodie appellamus libros Parochiales seu Baptismales, Die Tauff- und Kircken-Bücher. 4. Per testimonium Parentum & Avorum. *Bachov. Disp. 11. ad Treutl. T. 8. C.* 5. Per assertionem Susceptorum, Susceptricum, item Obstetricum *l. 3. §. 4. ff. de Carbon. Edict. vel custodum, in casu Edicti de ventre inspici. custod. partu.* Necnon etiam aliqua memorabili Victoria aut Calamitate publica, qua annus natalis fuit insignis. Quemadmodum in Silesia, Patria mea dulcissima, multi agrestes suam computant ætatem à tempore der Pitschischen Schlacht / & alibi aliter.

XLII. Parentes corporis valetudine laborantes non negligendi sunt à liberis, sed eorum ægritudine succurrendum, *l. 5. §. 2. l. 6. §. 1. ff. de alend. liber.* Quis enim pauperior est hominibus, qui & inopia tenti & suis corporibus laborantes, necessarium victum sibi non possunt acquirere, *l. 49. §. 3. C. de Epist. & Cler.*

XLIII. Sed quia multæ hominibus ad malitiam viæ sunt *Nov. 22. c. 15.* & humana natura quodammoda ad delicta labitur, *Nov. 5. c. 2. f.* nemo facile existit, cujus non virtutes aliquo vitiorum confinio lædantur. Hinc quaestio fuit de Parentibus, aliqua obrutis aut contaminatis turpitudine, an & illis alimenta debeantur? Exemplis res fiet manifestior, *l. 3. §. 2. ff. de Collat. l. 51. ff. ad L. Aquil.*

XLIV. Ususfructus parenti ex bonis filii adventitiis debitus, ei auferri potest. *Nov. 117. c. 1. per Auth. excipitur C. de bon. qua liber. Magnif. Dn. Struve Exerc. 12. tb. 5.* Isto in casu, licet usufructu priveretur, alimenta nihilominus ipsi ex bonis

nis

nis filii debentur, quando eget & inops est, per l. 50. ff. ad Sc.
Trebell. B. Carpzov. p. 2. C. 10. D. 10.

XLV. Nec mirari quisquam debet hanc alimentorum præstationem esse sancitam, quum & Pater in extrema famis necessitate liberos quondam vendere potuerit, l. 2. C. de patrib. qui. fil. suos distrax. Quanto ergo magis alimenta propria auctoritate capere, bonaque filii distrahere l. ult. §. 5. C. de bon. qua. liber.

XLVI. Non a. tantummodo propter leges; sed etiam propter Naturam, quæ à Parentibus alendos esse liberos dicitavit, & ab ipsis liberis Parentes, si inopia ex alterutra parte vertatur. d. l. ult. C. de bon. qua. liber. hoc officium non est intermittendum.

XLVII. Lex quidem etiam dicit, tametsi ejus fides suffecisset, firmata ex naturali justitia arg. l. 13. §. 7. ff. de Excusat. Rationem naturalem pro lege allegare satis est, arg. d. l. 1. §. 3. C. de admin. Tutorum.

XLVIII. Congruum hoc est reverentiæ paternæ. l. 50. ad Sc. Trebell. Ex æquitate hæc res descendit Charitateque sanguinis l. 5. §. 2. ff. ad agnosc. lib. & naturali ratione debetur, d. l. 5. §. 16. quæ suadet ut beneficienti gratiam referamus, l. 25. §. 11. ff. de heredit. petit. Justum est Nov. 117. c. 7. Sicuti Parentes aluerunt filios imbecilles; ita senio confecti vicissim eadem alimenta à valentibus filiis, vices infantia suæ reddituris, reportare debent; id quod ipsum Græci vocabulo *Αντιπαραγωγή* exprimere satagunt.

XLIX. Hæc alendi necessitas non pendet à patria potestate, quum & à filiis emancipatis & impuberibus alimenta consequatur. l. 5. §. 1. C. §. 13. ff. de agn. lib. id quod egregio Responso Lipsiens. 1627. Mensis Junii, referente Saxoniae Papiniano Bened. Carpzovio munitum videmus. Da es aber dennoch Eurem Vorgeben nach/mit der Mutter eine solche beschaffenheit gehabt hätte/das Sie nehmlichen in höchster Noth/Krankheit und Ziemuth gewesen/ auch in das Hospital nicht hat kommen können.

nen/also das sie auffer der Kinder Hülff verderben müß. n. auff welchen fall denn die Kinder ihre Eltern noch dürfftig zu alimentire schuldig seyn.

L. Verum debetne etiam hoc beneficio frui Pater, si sit *naturalis* tantum? & aff. ex *Auth. licet, C. de natur. lib. Naturales filios pasci boni viri arbitrio, necesse est. Hi ergo & Parentibus parem præstent, si opus sit, Pietatem, & parentibus compensent, sive in successione sive in alimentis. Nov. 89. c. 13.*

Ll. Sed *adulterino atque incesto Parenti* sunt ne indulgenda alimenta? & æquius illud est. *Nov. 12. c. 2. ubi dicitur: Pater licet legum contemptor & impius, tamen pater est. Auth. incestas. C. de incest. & inutil. nupt. c. 5. X. de eo qui dux. in matrim. quam poll. per adult.*

LII. Ex complex incesto natis Jus Civile negat alimonia, *Auth. ex complex. C. de incest. nupt. Nov. 89. c. 15. Canones vero necessaria iis largiuntur d. c. 5. X. de eo qui dux. & c. Conr. Ritterbus. Diff. 7. Civ. & Canon. l. 2. c. 7. quod & Camera Imperialis sequitur, test. Andr. Gail. 2. Observ. 88. n. 12.*

LIII. Si pater bona sua decoxerit, & bona filii adventitia etiam dilapidare incipiat, ei administratio bonorum erit interdicenda, *l. 50. ff. ad Sc. Trebell. ita tamen ut ex fructibus bonorum ademptorum alimenta consequatur, quæ taxantur secundum qualitatem reddituum, Boer. Decis. 19. n. 8. o. 44. b.*

LIV. *Relegatus in insulam* parens à liberis alimenta desiderans, an accipiat? Juris hoc naturæ esse potius, quam Civilis putaverim, *inquit Gothofred. Honestè tamen faciunt filii qui in insulam relegatis alimenta præstant. Paul. l. 73. §. 1. ff. de Fur. dot. l. 20. ff. solut. matrim.*

LV. An hoc ad *deportatum*, cui hodie suo modo comparatur proscriptus ab Imperio seu *Bannitus*, est trahendum? Et magis est licere *l. 16. ff. de interdict. & relegat. & Dd. per Auth. incestas C. de incest. nupt. Gl. ad Nov. 12. c. 2.*

LVI, An

LVI. An bannitum Parentem filius impune tectio potest recipere? licere non puto, mitius tamen punitur *l. 2. ff. de Receptator.* (in crimine hæreseos *Jur. Canon. singulare quid obtinet, c. 8. X. de heredic. c. 16. qu. 3. XI. c. 17. ib.*) quin si levis exilii causa fuerit, excusandus omnino videlicet filius, alioquin patria parentibus potior, *Gothofr. ad Nov. 12. c. 2. l. 19. §. 7. de Captiv. l. 1. §. 15. ff. de ventr. in possess. mittend.*

LVII. Non pertinet hoc ad *reum Majestatis*, & Patrem qui est Patriæ hostis & proditor, quia etiam impune occidi à filio potest. *l. 35. ff. de religios.* quod tamen non nisi *in ipso actu oppugnationis & defensionis* filio permissum esse statuitur. Ejusmodi vero statuta, quæ citra hanc limitationem, propositis præmiis, liberos ad necem paternam & vice versa, non admittunt solum, sed etiam invitant, ex pia hac consideratione damnat *Bodinus lib. 1. de Rep. p. 20.* quod nulum tantum scelus à patre designari queat, quod sit parricidio vindicandum. Hujus sententiam *Jur. Canon. approbatam* Auctor est *Decian. in prax. crimin. lib. 2. c. 19. n. 6.*

LVIII. Parentibus licet hæreticæ pravitati mancipatis alimenta sint subministranda *c. a. dist. 30.* etiam ob hæresin excommunicatis. *arg. d. can. c. 103. quest. 3. XI.* Imo & *Elecmosynæ* nemini denegandæ *c. 21. dist. 86.* Fidelibus enim non tantum, sed & infidelibus hæc Pietas debetur, maxime tamen & primum fidelibus. *Ambros. c. non satis 14. dist. 86. Arnold Corvinus à Belderen aphor. Jur. Canon. lib. 4. tit. 43 p. m. 344.*

LIX. Quid de bonis in Ecclesia acquisitis, cogiturne Patrem filius alere? teneri videtur. Sunt enim hujusmodi bona quasi castrensia peculia *l. 50. l. 34. C. de Episc. & Cleric.* & alioqui *Ecclesie bona pauperum bona sunt*; elegans est *Ambrosii locus, relat. c. 70. qu. 2. XII.* quibus etiam proximos & conjunctos juvare possumus *c. ad hæc. 8. §. c. 12. X. de Testam.*

LX. Hac alendi obligatione non liberi tantum sed & eorum heredes extranei adstricti sunt; quoniam & li-

C

beri

beri à defunctorum parentum heredibus aluntur. *l. 5. §. 17. de agn. & al. lib.* Tutor, nomine locupletis pupilli, matrem egenam alere tenetur, *l. 13. §. ult. ff. de adm. tut. l. 1. §. 4. de tutel. & rat. distrab.*

LXI. Ob alendos etiam Parentes filio monasterium exire permissum esse statuunt. *Dd. arg. l. 4. §. ult. 15. ff. de re milit.*

Sectio Posterior.

Superiore visione *de Personis* alendis exposuimus, modo videamus de rebus, hoc est, *alimentis*.

I. *Alimenta* derivantur ab aliendo seu nutriendo, (nutriri enim idem est ac educari *l. 1. C. divor. fact.*) quod corpus humanum nutriant ac conservent. Inter alere autem & nutrire, quantum ad Jus nostrum attinet, nihil aut certe parum interesse puto; promiscue enim hæc verba usurpantur, uti apparet *ex l. 10. ff. de bis qui sui vel al. Jur. l. 1. l. 2. C. de Infant. expos.* In Jure *Alimentarius* appellatur, cui alimenta relicta sunt. *l. 8. §. 6. §. 24. ff. de transact. l. pen. 95. §. 1. ff. ad L. Falcid.* Ut alimentariæ Puellæ *ap. Jul. Capitolinum, in Ant. Pio* quibus alimenta de publico præstabantur. *Alimentaria causa l. 8. §. 21. ff. de Transact.* Alimentariæ Legis, qua liberi alere parentes ad inopiam redactos cogebantur, meminit *Cælius in epist. ad Cicer. lib. 8. famil. ep. 6.*

II. Eandem rem significantia vocabula sunt hæc: *Alimonia*, quæ vox etiam in neutro genere legitur *in l. 4. ff. de agn. lib. l. 73. §. 1. ff. de jur. dot.* *Victus l. 23. ff. de alim. legat. l. 43. ff. de V. S. Educare l. 23. ff. de alim. legat.* Interdum alere simul & educare significat. *ubi pupilli educari debeant. ff. & C. l. 3. §. 4. ff. de liber. exhib.* Exhibere *l. 5. §. 7. ff. de agn. liber.* Exhibitio pro alimentis *l. 26. §. 2. ff. quand. dies legat. l. 69. §. 3. ff. de jur. dot. l. 18. §. 9. ff. de instruct. & instrum. legat.* Exhibere Cibum, potum, lectum & similia *l. 1. §. 4. ff. de munerib. & honor. Pasere Auth. licet, C. de natur. liber.* Veniunt sub nomine subsidio-

RUM

rum necessariorum *arg. l. ult. ff. de alim. & cib. legat. c. 4. X. de prebend.* Sustainatio vitæ; sustainatio congrua quoque alimentorum habent vicem apud quosdam Auctores.

III. Alimentorum acceptio alias *strictior*, alias *latior*. Ubi agitur de legatis alimentorum, per transactionem finiendis, verbum alimentorum *strictius* capitur, neque vestitum, neq; habitationem complectitur, *l. 8. §. 12. ff. de Transact.* Si sermo est de Legatis præstandis, appellatione alimentorum ista quoque veniunt. *l. 6. l. ult. 23. ff. de alim. & cib. Lata* acceptio complectitur omnia ad vivendum homini necessaria. *l. 43. l. 44. ff. de verb. sig.* Præstatio alimentorum est favorabilis, transactio vero de iisdem odiosa. *Dn. D. Habn. Comment. in w. ff. Wesenb. tit. de alim. leg. n. 1. ad verb. Cibaria & Vestitus.*

VI. Definitionem alimentorum efformare liceat ex *H. Grot. de J. B. ac P. 2. c. 7. §. IV. 1.* Sunt ea quæ ad vitam humanam, id est, naturalem ac socialem, nam ad eam natus est homo, sunt necessaria.

V. Sed quoniam noster tantum *Alimenta parentibus præstanda* hic proponimus, multa erunt prætermittenda, quæ alios nervosius & copiosius de alimentis in genere tractantur ab Auctoribus nimirum *Bartolo, Job. Baptista Pontano, Mart. Colero, Petro Surdo, & Scipioni Gentili*, ubi plurimas divisiones & alia exhibent v. g. à causa efficiente: in legalia, donataria, conventionalia, testamentoria, pœnalia. Deinde in futura & præterita, *l. 10. §. 1. ff. de alim. legat. l. 11. l. 18. §. ff. eod.* Ratione formæ constituendi, vel relinquendi, in conditionalia *l. 13. §. 1. ff. de alim. leg. l. 8. ff. de Condit. & Demonstrat. l. 84. ff. eod. l. 3. C. de indict. Viduit. & pura l. 4. §. 1. ff. de alim. leg.* Ratione præstationis in dividua & in individua quæ unī, vel ab uno, pluribusve in solidum debentur *l. 3. ff. de alim. leg. l. 8. §. 9. ff. de Transact.* Præstantur quædam secundum *Dignitatem*, quædam ex sola necessitate, *arg. l. 5. §. 1. §. 5. C. ad*

L. Jul. Majest. c. un. §. sane de statu Regular. in 6. Præstatio alia est temporaria l. 14. §. 1. l. 15. pr. ff. de alim. alia perpetua l. 20. §. 2. l. 14. pr. ff. de alim. leg. l. 10. §. 3. ff. de usu & habitat.

VI. Progredimur ad considerationem rerum sub alimentorum vocabulo comprehensarum, in quibus nimirum & ex quibus præstentur. Ejusmodi autem res sub alimentis continentur, quæ ad vitam humanam pariter & civilem sustinendam necessaria sunt, seu sine quibus homo vel plane non, vel non satis bene ac decenter in societate civili se exhibere potest. Hic quoque ea obtinent, quæ verbo victus veniunt. *l. 43. l. 44. l. 45. l. 234. §. 2. ff. de V. S.*

Istarum specierum trimembrem partitionem suggerit nobis *l. 43. ff. de V. S.* videlicet nonnullas esse referendas ad nutriendum: quasdam ad Cultum; cæteras ad tuendi curandive corporis curam necessariam.

VII. Ad nutrimentum pertinent, quæ esui potuique inserviunt, *d. l. 43. de V. S. l. 6. l. ult. ff. de alim leg.* quia sine his ali corpus non potest. *d. l. 6.*

VIII. Cibi & potus ea sunt, quæ alendi causa eduntur & bibuntur. *arg. l. 5. ff. de pen. leg.* quæ qualitaque sint satis constat; Eos enim qui certi sunt, certiorari ulterius non opus est, *c. 31. de R. J. in 6.*

IX. Ad potum referri potest *Cerevisia*, quæ in quibusdam provinciis coquitur, & aliud quodvis potionis genus. Dici potest etiam *aquam* inesse, si in ea regione vendari aqua solet. *l. 1. l. 14. §. 3. ff. de alim. leg.*

X. *Cultus* nomine intellige vestimenta, *l. 43. l. 45. ff. de V. S. l. 234. ff. eod.* Vestimentorum sunt omnia lanea, lineaque, vel serica, vel bombicina, quæ inducendi, præcingendi, amittendi, infernendi, injiciendi, incumbandive causa parata sunt *l. 23. §. 1. l. 24. ff. de aur. leg.* referenda huc etiam sunt calcearia *l. 8. §. 14. ff. de Transact.*

XI. Reliqua ad tuendam curandamve corporis valeru-

letudinem spectantia sunt v. c. habitatio l. 6. ff. de alim.
Lectus, & quæ vice lectuli funguntur, stramenta. l. 234. §.
2. ff. de V. S. ligna & corbones, l. 3. §. 6 ff. de pen. leg. Pharma-
ca & medicamenta, l. 22. §. 8. ff. Solut. matrim. l. 45. ff. de usu-
fe. l. 18. §. 2. ff. Commod. Gædd. ad l. 44. de V. S. Gothofred. ad l.
6. ff. de alim. leg. lit. n. Ministerium famulorum & servo-
rum, l. 203 ff. de V. S. l. 16. §. 3. ff. de Publican. & vectigal. l. 35. ff.
de Legat. 2. Equus & currus l. 13. ff. de aur. & arg. legat.

XII. In sumptibus funerum, an appellatione alimen-
torum contineantur acriter disputant Dd. Quos inter ta-
men supra cum cura nominatus B. Dn. Carpz. P. 2. C. 46. de-
fin. 23. negativam tuetur, si proprie velimus loqui.

XIII. Si ex lege vel Jure sanguinis alimenta debentur,
sumptus studiorum ac disciplinarum sub iisdem continen-
tur; secus si ex testamento vel contractu. l. 67. ff. de alim. l. 2.
pr. l. 3. §. 5. l. 4. ff. ubi pupill. educ. B. Dn. Hahn. ad Wesenb. de alim.
legat. n. 1. ad verb. Cætera quæ ad disciplinam. Viatica item l. 18.
§. 1. ff. de Judic. & introitus l. 102. §. 2. 3. ff. de legat. 3.

XIV. Præstantur communiter alimenta ex fructibus
bonorum atque redditibus l. 20. §. 2. ff. de alim. leg. l. 3. §. 1. ff.
ubi pupillus educ. ex usuris fortis pecuniariæ l. 8. l. 9. pr. l. 13. pr.
ff. de alim. legat.

XV. Ubi naturali ratione debentur alimenta, ut
hic parentibus, necessaria est patrimonii diminutio, l. 5.
pr. ff. de heredit. petit. nec non bona ex fideicommissio resti-
tuenda, propterea distrahi possunt. Auth. res quæ. C. com-
mun. de legat. Auth. Contra. C. ad Sct. Trebell.

XVI. Pater necessitate pressus bona filiorum ad-
ventitia alienare potest. l. ult. §. 5. de bon. quæ liber. quia ma-
jor, sc. filios distrahere, potuit. l. 2. C. de patr. qui fil. distr.

XVII. Modus quo alimenta præstanta sunt, talis ob-
servandus est, ut illa neque nimis profuse, neque nimis
parce; sed ad alimentarii sufficientiam ordinentur, ac ad
dignitatem præbeantur. l. 15. §. 2. ff. de usufr.

XVIII. Modo meminerimus moderari debere alimenta pro modo facultatum ejus, qui illa debet, *l. 5. §. 7. 10. 19, 25. ff. de agn. liber. l. 22. ff. de aliment. legat.*

XIX. Habita dignitatis ratione alendos Parentes justos, adoptivos, quorumve soluti sumus potestate, *l. 5. §. 13. ff. de alend. lib. nisi sint banniti, connexio correlativorum (qualis procedit, arg. l. i. C. de cupress. ex luc. Daphnens.) exigit, l. 12. §. 3. l. 13. pr. ff. de adm. Tut. arg. l. 14. §. 6. ff. de religio. Ulterius pro dignitate maritus, uxor l. i. §. 19. l. 4. ff. de ventre in possess. mitt. Vidua l. 13. C. de dignit. l. 8. ff. de senator, alimenta percipiunt.*

XX. Aestimatio decernendorum alimentorum potest per judicem aut arbitrū fieri. Arbitrarius alimentarius arbitratitur quantum sit in facultatibus ejus, à quo alimenta petuntur, ut ita ejus arbitrio possint alimenta moderari, & ne locupleti ab egeno præstentur, *l. 5. §. 25. ff. de agn. libr.*

XXI. Attendenda alimentariorum conditio, qualitas & honestas. Rustico sufficit constitui panem atrum, alium & cepas cum caseo. *Carpz. J. F. Part. 1, Const. 22. def. 16. arg. l. 99. pr. ff. de legat. 3. l. 166. pr. ff. de V. S. Lautioribus contra esculentis & poculentis vescendus, nec non ornatus amiciendus melioris fortunæ & nobilioris generis homo, ut hac ratione familiarum dignitas conservetur.*

XXII. Ex loco etiam, in quo alitura præstanda, considerationem fieri oportet. Alendus est filius in ædibus Parentum, quia Seniorum Conversatio, Juventutis perfecta Educatio, *Nov. 5. c. 3. & vicissim Pater in domo filii, modo apud ipsum habitare possit. Exuli enim atque captivo, ad locum, in quem compactus est, alimenta sunt mittenda.*

XXIII. Tempus quoque æstimandum. Singulis diebus alimenta capere potest, aut menstruatim. *l. 9. ff. de agn. lib. l. 8. ff. de alim. leg.* Secus in tempore conventionali, aut præscripto. Contractus enim ex conventionem legem accipere dignoscuntur *c. 85. de R. J. 6.*

Vlti

XXIV. *Vestimenta non mensuris oneribus, sed annuis*
l. 8. l. 17. ff. de alim. leg. vel quando necessitate & verecundia
adstringimur, d. l. 8. Gl. ad l. 26. ff. qu. dies legatorum, Medica-
menta eodem tempore danda.

XXV. *Alimenta cum vita finiuntur, l. 8. §. 10. ff. de*
Transact., per totum tempus vitæ hactenus debita, l. 14. pr. ff.
de alim. leg. Carpz. p. 2. c. 46. d. 20.

XXVI. *Si quis Parentes officio debito neglexerit ale-*
re, competens Judex ea de re cognoscet, l. 2. C. de al. lib. l. 5. pr.
ff. eod. & se interponet, d. l. 5. §. 2, compelletque liberos ut
secundum leges & naturam Parentes sustentent l. ult. §. 5.
C. de bon. qua. liberis. remedium alimentorum petentes, l. 9. C.
de patr. potest. Notanter dixi competens Judex: Fuere enim
qui in alimentorum causa tantum concessum putarent, ut
possent pro lubitu ad quemcunque Judicem se conferre,
ibique agere. Sed puto verius esse, Judicium competens
non licere transilire. per l. 2. l. 3. l. 4. C. de alend. lib. l. 5. §. ff. eod.

XXVII. *Summatim sive summarie in causa alimento-*
rum cognoscitur; causa enim alimentorum summaria est
l. 5. §. 8. ff. de agn. liber. Sufficiente una citatione. Gloss. ad Cle-
ment. 2. de verb. signif. Nec solemnis libellus desideratur; sed
qualisqualis petitio. Clem. super 2. de verb. signif. arg. c. 38. X. de
testib. Nec opus est litis contestatione Clem. super. 2. de V. S.
Diebus feriaticis ob necessitatem procedit. Clem. 2. de V. S. l.
2. ff. de fer. neque appellatione suspenditur d. Clem. 2. de V. S. l.
ult. ff. de appellat. recip. dilationes non nisi pauciores & bre-
viores admittit, l. 2. ff. de re judicat.

XXVIII. *Verba cum effectu sunt accipienda, non*
verbotenus, l. 1. §. 2. ff. quod quisque jar. in alt. l. 5. §. 2. ff. ne quis
eum qui in jus voc. Itaq; de robore quod alimentis accommo-
datum est, videndum paucis. Jam modo dictum est, ea quæ
ex Legge & commiseratione debentur per implorationem
officii Judicis peti, l. 5. pr. §. 2. ff. de agn. lib.

XXIX.

XXIX. Personæ implorantes, reliquis præstantiores, sunt Ascendentes & Descendentes. Lege enim Naturæ genitis & ab his vice mutua genitoribus alimenta debentur.

XXX. Atque hujus alimentorum erogationis nulla est in his Personis repetitio, *l. 11. l. 15. C. de neg. gest.* Habet enim paternam vel similem Pietatem. Pietate erogata donari præsumuntur, ut repeti non possint. *l. 27. §. 1. ff. de neg. gest. l. 32. §. 2. ff. de condict. indeb.*

XXXI. Contrarium tamen colligi potest ex modo & genere impensarum, *l. 47. ff. de donat. int. vir. & ux. Carpzov. p. 2. c. 10. def. 22.* aut ex protestatione, re adhuc integra tacta *l. 34. ff. de neg. gest.* aut si animus credendi appareat. *Gotthofr. ad d. l. & ibi laudatissimi Auctores.*

XXXII. In alendis Parentibus unus liberorum solus hoc onus in se recipiens, à cæteris pro rata portione repetere potest, nisi de animo donandi constiterit. *l. 12. C. de neg. gest.*

XXXIII. Qui alimenta mordicus negat usque ad mortem, necare videtur *l. 4. ff. de lic. agn.* quisquis pascendo hominem servare poterat, si non pavisti, occidisti. *Ambros. cit. c. 21. dist. 86.* Si moram faciat & detrectet, captis & distractis pignoribus cogitur. *l. 5. §. 10. ff. de agn. lib.* Mandatis sine clausula hodie in judicio Camerali solere decerni, tradit *Andr. Gail. 1. Obs. 10. n. 4.*

XXXIV. Dubitatio in eo vertitur, si hæc impietas usque ad miserimæ mortis eventum processit, an reus supplicio *L. Pomp. de Parricidiis, an L. Corn. de Sicar.* sit subdendus? Sed prævaluit illorum sententia, qui pœnam extraordinariam diciturunt, *per l. 1. §. 4. ff. de agn. lib. Facit l. 1. §. 3. ff. de inspic. vent. Mart. Coler. de alim. 2. c. 5. n. 34.* ubi Exempla præjudiciorum.

XXXV. Si mora & recusatio effectum mortis non ha-

habuit, tamen impune id non fertur, Pater alimenta denegans, Jus patriæ potestatis amittit, *l. 2. C. de infant. exposit. ibique not. Gothof. l. 9. C. de patr. pot. c. un. X. de infant. & langv. exposit. l. 8. ff. pro derelict.*

XXXVI. Porro Patri & Matri alimentare detrectantibus, tanquam indignis aufertur liberorum hereditas, *arg. l. 22. §. 3. ff. solut. Matrim. l. 3. ff. de his qua ut indign. Nov. 115. c. 3. §. 12. c. 4. §. 6. Carpzov, P. 3. c. 26. d. 25.* Ex diverso, in patrium Jus filii emancipati revocantur, *l. un. C. de ingrât. lib. l. 10. C. de revoc. don. & successione sunt indigni, Nov. 115. c. 3. §. 12.*

XXXVII. Constituta ita alimentorum Obligatio multifariam tolli potest, ut ecce morte (quæ omnia solvit *Nov. 22. c. 20.*) Alimentarii. Alimenta cum vita finiuntur, *l. 8. §. 20. ff. de Transact.* naturali tamen non vero civili, *l. 17. ff. de capit. minut. l. 8. ff. de annu. legat. l. 11. ff. de alim. legat.* Nihil intereheriam si ex Legato descendant *l. 14. pr. ff. de alim. legat.*

XXXVIII. Persona deficiente causa præstandi videtur extincta, *l. 26. §. fin. qu. dies legat.* idque ideo, quod tale legatum annuum videatur, cui hæc conditio inest: *si vivat. l. 4. pr. & l. 8. ff. de annu. legat.* nec est contrarium in *l. 18. pr. ff. de ann. legat.* Legatum annuum simplex morte Legatarii finitur, *l. 8. ff. de ann. leg.* Legatum annuum ad certum usque tempus non item: cum debeatur ac præstetur ad usque finem temporis testamento præstituti *Gothofr. ad d. l. 18. ff. de ann. leg.* transeunt autem ad heredes si prædium in alimenta relictum *l. 4. ff. de alim. legat.*

XXXIX. In hoc nostro themate si liberi vita fungantur, consultum erit Parentibus per Nepotes, qui hanc Pietatem Avis præstare tenentur *l. 5. §. 2. ff. de agn. liber.* aut successione in bona filii defuncti.

XL. Posse vero nonnunquam ex ponderosis & urgentibus

D

tibus

tibus causis Parentibus hoc alendi Beneficium æqua Judicis æstimatione denegari, testatur *l. 5. §. ii. ff. de agn. lib.* exemplo *Delationis*.

XLII. Adde quod oppugnatione & proditione patriæ hujus naturalis debiti jacturam Pater patiatur. De quo *supra th. LVII.*

XLIII. In LL. XII. Tab. legitur: Filius arte carens Patris incuria & negligentia, eidem necessaria vitæ subsidia ne præstato, *Forster, bist. Jur.*

XLIII. Non aliter autem filius Patrem alere tenetur, quam si ipse in facultatibus sit. *l. 5. §. 13. §. 15. de al. lib. l. 1. C. cod.* utrumque igitur concurrere oportet, ut & Pater egenus sit, & filius in facultatibus positus *l. 1. §. 4. ff. de tucl. & rat. distrab. l. 6. ff. de dol. mal.* Durum enim foret & crudelitati proximum, ex prædiis tuis aquæ agmen ortum, sitientibus agris tuis, ad aliorum usum vicinorum injuria propagari *l. 6. C. de servitut. & aqua.* Ordinata Caritas incipit a semet ipsa, *arg. d. l. 6.* Jubemur in Evangelio proximum amare juxta nos ipsos, non præ nobis ipsis: imo ubi par malum imminet, non vetamur nobis potius, quam aliis consulere. *H. Grot. de J. B. ac P. l. 3. §. 3. n. 3.* idque ostendit auctoritate Pauli, beneficentiæ regulam explicantis: non, *inquit*, ut aliis sit laxamentum, vobis res angustiæ, sed ut æqualiter vestra copia, succurrat illorum inopiæ *2. Cor. 8. Grot. ibid. t. 2. 8. 6.*

XLIV. Ex vinculo naturali & nexu sanguinis alimenta quæ veniunt præstanda, nullo temporis cursu perimi possunt, quia temporis lapsus obligationem naturalem non tollit *arg. l. 20. pr. ff. de neg. gest. c. ult. ii. t. X. consuet. c. 8. fin. X. de Consangu. & Affinit.*

XLV. Neque etiam a Principe, statutis, aut Consuetudine abrogari possunt. *Dd. comm. vid. Gail. 2. obs. 122. n. 14.* Magis est, non esse servandam testatoris voluntatem jubentis,

tis, ut quis Parentes, Fratresque inopes vel testantis heredem, ne alat. *l. un. in fin. C. de his quæ poen. nom. rel.* quia hoc legibus est interdictum, & alias probrosum.

XLVI. Regula ab antiqua Prudentia exposita est per Orationem D. Marci, *l. 8. pr. ff. de transact. Transactionem super alimentis futuris, Testamento vel alia ultima Voluntate relictis non aliter ratam habendam esse, quam si auctore Prætorè facta: & si Alimentarii conditio melior reddita fuerit. d. l. 8. pr. §. 6. ff. de Transact. ratio est favor ipsius Objecti (alimentorum sc. futurorum) Conf. Gotthof. ad l. 1. ff. de alim. legat. Ultima Voluntatis quæ legitimum finem sortiri debet, l. ult. C. commun. de legat. Alimentarii, ne is modico præsentis contentus, facile transigat d. l. 8. pr. ff. de Transact. vid. Hahn, ad π. ff. Wes. n. 5, p. 210. b. De præteritis permixta est Transactio, quia alimenta esse desinunt, postquam vita aliunde sustentare est, & manet purum debitum super quo nihil impedit transigere *l. 8. C. de Transact.* In futurum enim quis esurire & egerere potest, non etiam in præteritum. Perez. de Transact. n. ii. De aliis porro alimentis aliunde quam ex ultima voluntate debitis, libera est transactio, *l. 8. §. 2. ff. de transact.* Sed quia hæc ex jure sanguinis veniunt, verius est illa nec repudiari, nec dissolvi posse pacto aut transactione *l. 34 ff. de pact. Scip. Gentil. de alim. cap. 10. f.**

XLVII. Ex eadem Juris & necessitudinis ratione, invalida quoque habetur renunciatio alimentorum. Gædd. ad d. l. 3. d. V. S. n. 37. licet Juramentum accesserit: secus se habet in aliis ex alio fonte debitis alimentis.

XLIX. Si parens neget filium, idcircoque alere se non debere contendat; vel filius neget parentem, in pendenti est præstatio *l. 5. §. 8. de agn. lib.* donec res expediatur & clarior fiat.

Mater vero semper est certa *l. 5. ff. de in jus voc.* quia plerum-

rum que in vniuntur, qui quæve partui & educationi af-
fuerunt, at *de Patre* hujus gradus certitudo haberi non
potest, quod *Homerus* indicat dicens :

Generis nemo sibi conscius ipse est;

Ejusque vestigiis insistens Menander :

Nemo ipse novit quo sit exortus patre.

Et alibi :

Mater tenerius liberos adamat patre :


Quia Mater esse scit suos; Pater autumat.


Grotius d. J. B. ac P. l. 2. c. 7. §. 8. Reperta est aliqua ratio,
qua probabiliter constaret, quis esset partus cujusque pa-
ter, ea ratio sunt *Nuptiæ*, quæ patrem demonstrant. *l. 5. ff.*
de in Jus voc.


XLIX. Cujus ergo *Pater aut Mater*, vel horum paren-
tes senio confecti quasi *Thesaurus* quidam domi existunt,
is putet nunquam aliud tale sibi *Simulacrum* magisque ef-
ficax domui suæ affaturum, si recte, ut decet, ab eo coli-
tur. *Plato ab Stob. sermon. 2.* Nihil enim inter homines Pa-
tre & Matre præstantius habetur illis, qui sanctam colunt
Justitiam. Nec gratis erit hæc veneranda Pietas. QVA-
LIA ENIM TU CONTULERIS IN PARENTES
TALIA PRORSUS A TUIS LIBERIS EXSPECTA
Stobæ Serm. 113.

PARENTI COELESTI
LAUS HONOR ET VICTORIA
IN NUNQVAM DETERMINANDA
SECUA!














the scale towards document

es, Fratresque inopes vel testantis he-
m, in fin. C. de his qua poen, nom, rel, quia hoc
ctum, & alias probrosum.
ula ab antiqua Prudentia exposita est
, Marci, l. 8. pr. ff. de transact. Transactionem
turis, Testamento vel alia ultima Vo-
n aliter ratam habendam esse, quam si
facta: & si Alimentarii conditio melior
. 8. pr. & §. 6. ff. de Transact. ratio est fa-
imentorum sc. futurorum) Conf. Gothof. ad
Ultima Voluntatis quæ legimum finem
C. commun. de legat. Alimentarii, ne is mo-
tentus, facile transfigat d. l. 8. pr. ff. de
n. ad π. ff. Wes. n. 5. p. 210. b. De præteri-
ransactio, quia alimenta esse desinunt,
unde sustentare est, & manet purum
o nihil impedit transfigere l. 8. C. de Trans-
enim quis esurire & egere potest, non
m. Perez. de Transact. n. ii. De aliis por-
ide quam ex ultima voluntate debitis,
o, l. 8. §. 2. ff. de transact. Sed quia hæc
veniunt, verius est illa nec repudiari,
nacto aut transactione l. 34 ff. de pact. Scip.
o. f.
em Juris & necessitudinis ratione, in va-
tur renunciatio alimentorum. Gædd. ad
licet Juramentum accesserit: secus se
io fonte debitis alimentis.
ens neget filium, idcirco quæ alere se non
; vel filius neget parentem, in pen-
l. 5. §. 8. de agn. lib. donec res expediatur
per est certa l. 5. ff. de in jus voc. quia ple-
rum-